



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Bonus Princeps per Saturnum indicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

(?) III. Saturnus, inquit Festus, inter veterrimos Italiae deos colitur, qui frugum Repertor, quique eas gentes primus docuisse creditur fationes. Fuit autem antiquorum hominum tanta simplicitas, ut venientes ad se advenas (quemadmodum Saturnus ad Janum venit) qui modò consilio atque sapientia præditi ad instruendam vitam formandosque mores aliquid conferebant, quòd eorum parentes atque originem ignorabant, *Cælo & Terra* editos non solum ipsi crederent, verum etiam posteris affirmarent: velut hunc ipsum Saturnum, *Cæli & Terræ* filium esse dixerunt. Aurelius Victor de orig. gentis Rom. De Saturno Maro 8. *Æneid.*

Primus ab ætherio venit Saturnus olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul adeptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris:
Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuere
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.

En notas boni ac sapientis Principis in Saturno, de quo Justinus lib 43. Italiae cultores primi Aborigines fuere? (quasi sine origine, quòd eorum majores nescirentur) quorum Rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, nec quidquam privata rei habuerit: sed omnia communia & indivisa omnibus fuerunt, velut unum cunctis patrimonium esset. Ob cuius exempli memoriam cautum est, ut feriis Saturnalibus exæquato omnium jure servi cum dominis recumbant. Hæc ille.

IV. (k) Alii per Saturnum exprimi volunt tyrannum avarum, superbum, crudelem, qui in suummet sæviat sanguinem, gaudeatque aspergi subditorum cruore: qua de causa Carthaginenses usque ad excidium suæ urbis pueros ingenuos Saturno immolabant, autore Curtio de gestis Alexandri. Fingebatur ejus statua ærea, manibus porrectis; sub ea fornax succendebatur; puer brachiis insertus, dum lento ignis vapore contrahebatur & torrebatur, ridentis speciem exhibebat: tibiis interea & tympanis concrepantibus, ne ejulatus exaudiretur. Atque hoc ipsum est, quod alibi diximus pravæ educationis symbolum. Nam dum puer manibus, ut dicitur, gestatur, dum sinu fovetur, dum indulgenter nimis & molliter habetur, quasi ridendo & canendo suaviter in brachiis

com-

(i) Bonus Princeps. (k) Tyrannus.